NONNULLA

DE OCULI SEMIOTICE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE VI. M. FEBRUARII A. MDCCCXLVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS WOLFF
MESOMARCHUS.

OPPONENTIBUS:
ROB. TEGENER, med. et chir. Dr.
AEMIL. MARCUS, med. et chir. Dr.
JUL. SCHMIDT, med. et chir. Dd.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO CARISSIMO,

SUMME DE SE MERITO

ADOLPHO SCHMIDT

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

AD CINERIS USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Oculus omni tempore dignissimis ac nobilissimis corporis organis adnumeratus est, ut a veteribus speculum naturae, animi fenestra, solis porta nominaretur. Illa vis atque dignitas, quae in sano corpore ab unoquoque agnoscitur, etiam in morboso non minus valet. Nam illud organon tenerrrmis telis compositum, nervorum copia innumerabili instructum, quod facillime vel consensu vel reflexu in diversissimis corporis morbis affici potest, in quo omnia phaenomena morbosa perspicue et evidenter expressa apparent, multum confert saepenumero in confirmandam morborum cognitionem et prognosin. Igitur jam Hippocrates primum, ut considerarent medici vultum, suasit et dixit, uti oculos, ita et ipsum

hominem valere; et accuratam illius **Hippocraticae** sic dictae faciei nobis tradidit descriptionem, quae nostrae aetati diligentiam priorum temporum et ingenii facultatem quam excellentissime demonstrat. De signis igitur oculi et iis quidem objectivis, quoniam in corporis morbis sunt graviora, dissertatiunculam componere mihi placuit, quam si perlustres, lector benevole, mitiori utaris judicio; acquiescas in iis, quae ex animo tuo conscripta sint, indulgenter vero praeteriens quae tibi non conveniant et forsitan falsa videantur.

SIGNA OCULI OBJECTIVA.

Supercilia. Semper fere eorum, qui lucem fugiunt, oculorum supercilia admodum pallida observantur. Illud inprimis in diathesi scrophulosa invenitur, ubi supercilia plerumque colore sunt flavo, rarius fusco et nigricante. Color superciliorum in universum magis nigricans est quam capillorum, et in aetate provectiore interdum prius canescunt. Defluvium superciliorum et ciliorum haud raro simul cum capillis defluentibus cernere licet tum superatis morbis acutis gravioribus, ut peste, synocho, typho, aliis; tum cachexiis, inprimis scorbuto, lepra, syphilide. Si apud aegrotos et praesertim morbo acuto laborantes superciliorum distortionem videmus, id quidem vires jam valde attenuatas persaepe denotat. In hydrocephali interni stadio primo infantes morosos, frontem et supercilia corrugantes conspicimus; et secundum Hippocratem curva aut rigida supercilia mala et perniciosa praesagiunt. *Ὀφρύες ἐπικεῖσθαι* symptoma dirum est in capitis affectionibus.

Palpebrae. Rugae circa oculum sunt signum marasmi. Collapsus externorum oculi tegumentorum in-

venitur in iis, qui phthisi marcescunt; in febribus magnam virium labem indicat.

Levis tumor inferioris palpebrae una cum musculorum faciei majori evolutione animadvertitur verbi causa in epilepsia inveterata. Interdum etiam prosopalgiam Fothergillii comitatur. In hydropicis morbis, inquit Frank, praesertim in anasarca, facies cachectica, pallida est. Proprium vero hujus morbi signum tumor est totius faciei, tum cutis inter nasum, palpebram inferiorem genamque extensus; hic vero tumor potius post somnum nocturnum matutino tempore quam vespertino apparet. Secundum Hoffmannum autem in hydrope progresso totum diem perdurat. Secundum Richterum hoc tristissimum signum et certissimum hydrothoracis est. In scarlatinae stadio desquamationis certo et semper fere hydropem prodit. — Intumescentia palpebrae superioris, nisi somno longiore orta inter vigiliam evanescit, post morbos modo superatos recidivam annuntiat secundum Danzium. Intumescentia palpebrarum cum rubore conjuncta symptoma frequentissimum omnium inflammationum palpebrarum, praesertim erysipelatis, quod haud raro secundum Himly ultra palpebras non progreditur. Quandoque illa in febribus typhosis, ubi dijudicantur, animadvertitur nec raro signum est mortis imminentis. In hominibus aetate provectioribus intumescentia chronica palpebrarum sanguinis congestionibus adversus caput efficitur ideoque praedispositionem ad apoplexiam denotat; aut secundum Sprengel anamnesticum insultus apoplectici signum est, injicitque paralyseos metum. In neonatis intumescentiam illam cum materiae sebaceae effluxn haud raro diathesin scrophulosam significare, dicit Friedreich. Laxam sub

oculis intumescentiam, colore pallido, in feminis ceterum sanis instantem aut praesentem fluxum menstrualem, aut factam conceptionem indicare putat Oswald. Egregium signum prognosticum est secundum Brendel in febribus continuis malignis et paraphreniticis, quippe quum hic praesentem vel futurum soporem prodat. Signum autem pessimum est in hominibus lethargicis, ubi, praesertim cum celeriter increscit intumescentia et cum colore fusco et sordido faciei vel morbi regii quibusdam symptomatis conjuncta est, repentinam mortem indicare dicitur.

Color fuscus palpebrarum symptoma exquisitum est chlorosis. Circulus lividus s. plumbeus circa palpebram inferiorem, nisi vi externa ortus est, malum omnino corporis habitum ostendit. Frequentissime illum videmus apud feminas fluxu menstruali ac mulieres fluore albo, praesertim maligno affectas, et apud viros gonorrhoea laborantes (Baglivi). Observatur etiam in hystericis et hypochondriacis et in iis, qui vermibus cruciantur et lienis morbo laborant. Circulus lividus cum lurido faciei colore, cum lividis in angulis nasi et oris locis, cum asthmate et scroti vel vulvae labiorum oedemate secundum Camper signum est hydrothoracis et hydropericardii. Quibus constitutio est plethorica et ad haemoptysin propensio: apud eos facies pallida, oculi concavi, circulus lividus circa inferiores palpebras paroxysmum haemoptysis antecedere solent (Stahl). — Si color normalis palpebrarum livescit, semper exitum periculosum indicat. Sic Hippocrates, si pervertatur aut corrugetur palpebra aut livescat, aut pallescat, itemque labrum aut nasus, cum alio aliquo signo, mortem in propinquo esse sciendum est. Interdum organi cujusdam interni gangraenam

et mortem praesagit secundum Morgagni. Superficies interna palpebrarum pallida, quae in corpore sano rubra esse solet, organismi vires debilitatas, humorum acrimoniam (Wintringham), cacochymiam, anaemiam, omnia, quae inopiam cruoris sanguinis sequi solent, prodit. Palpebrae nimis exsiccatae, quibus pulvis quasi concretus inhaerere videtur, quae in marginibus rubent, indurantur et tensae sunt, in febribus acutis inprimis in typho, signum pessimum exhibent, idem tamen etiam in phthisi. Color niger palpebrarum. Fuliginosa nigredo, quae nonnunquam in tota coporis superficie, et inprimis circa oculos apud eos, qui acutis febribus succubuerunt, apparet, et vix ac ne vix quidem a sordibus cutem conspurcantibus, distingui potest, funesta est et gangraenosam humorum resolutionem significat (Petzhold).

Margines palpebrarum, colore atrocyaneo tincti, in seriore morbi cordis stadio observati sunt.

Glandulae Meibomianae. Si mulieris, quae cancro laborat, oculi lacrimant, glandulae Meibomianae intumescunt, margines palpebrarum valde rubent, Rust operationem et curationem omitti jubet, ratus virus carcinomatosum per totum corpus dispersum esse.

Angulus oculi profundus et carne carens apud parvos infantes brevem aetatem significare dicitur.

Oculi clausi, qui sponte aperiri non possunt ab aegroto, ubi non muco palpebrae sunt conglutinatae, in morbis acutis, maxime si alia symptomata dira adsunt, mortem instantem adnuntiant. Odier hoc signum in hydrocephalo circa unum vel alterum oculorum vidit, quo facto post aliquot dies mors irruit. Prosper Alpinus

observavit, in maligna epidemia Paduae omnes esse mortuos, in quibus hoc signum videbatur.

Palpebra superior demissa, quando non e causa mechanica, vel ex impetigine etc. exstitit, sed e paralysi musculi palpebrae superioris pendet, prodromus vel effectus est apoplexiae vel hemiplegiae, ubi in alterutro oculo observatur. Si prodromus apoplexiae est, sinistrum eventum semper metuendum dicit Fabini, aegrotumque in summo esse discrimine. Whytt et Petr. Camper hoc symptoma simul cum bulbo sursum ducto hydrocephali pathognomonicum statuunt signum. Ut in omnibus morbis pessimi ominis symptoma, ita in acutis mortem ipsam instantem saepissime indicat.

Oculi per somnum non penitus coëuntes et semiclausi in morbis acutis statum periculosissimum produnt. Hippocrates variis locis hujus symptomatis mentionem facit. »Si quid album, inquit, commissis palpebris subinspicitur neque ex alvo profluvio est, aut medicamenti potione contingat, istud malum est signum et valde lethale.« Attamen videndum est, ne hoc signo decipiamur. Sunt enim in aegrotantibus, qui cum oculis semiapertis dormire consueverint. Multi homines, potissimum infantes, ceterum sani semper oculis semiapertis dormiunt. Quare cavendum est, hoc signo solo ne adducamur ad statuendam prognosin, quae haud raro falsa esset. Stollius in febribus hoc signum subito intrans periculosissimum esse judicat, et quidem tanto magis, quo magis inaequaliter clausi sunt oculi. Klöckhoff autem dicit admodum raro evenisse, ut hoc signum in morbis acutis mortem non indicaret. Zimmermann contra minoris aestimat hoc signum, dicit enim: »Ich habe den

Herrn von Haller vor vierzehn Jahren in einem hitzigen Fieber schlafen gesehen auf diese Weise; zum Glück für die Wissenschaft lebt er noch.« Langhans hoc signum haud raro in adolescentibus onaniae deditis inveniri contendit et Albers, illud symptoma subito intrans apoplexiam praesagire. In hysteria, in infantibus vel vermibus vel dentitione vel digestione laborantibus non timendum est.

Perversio palpebrarum et superciliorum, si quidem non vitiis localibus exorta est, generatim malum exitum indicat. Hippocrates ait: »Si in febre non intermittente labra aut supercilia, aut oculus aut nasus pervertantur; si visus, si auditus defecerit, aegro jam debili, in propinquo mors est.« Beust inter signa prognostica lethalia numerat palpebrarum torturam.

Tremor palpebrarum in morbis acutis mentis aberrationem, deliria, maniam, furorem, soporem, encephalitidem plerumque prodit, et in inflammatoriis saepenumero sanguinis eruptionem criticam; quae si non sequitur, periculum imminet. In morbis chronicis convulsiones et spasmos frequenter antecedit et comitatur ut in hysteria, epilepsia etc. Nec minus in infantibus palpebrarum tremor cum bulbi jactatione, pandiculatione, oscitatione et brachiorum tensionibus, motus convulsivos generaliter praenuntiat (Klein).

Nictitatio palpebrarum, quae evenit in morbis acutis, pessimi est ominis, inprimis in dentitione, hydrocephalo acuto, aliisque in morbis gravioribus. Pro certo mortis propinquae signo habetur cum nystagmo conjuncta. Si in febri remittente observatur, secundum Gorter; signum est bilis depravatae, sanguini admixtae.

Caruncula lacrimalis. Rubor car. lacrim. auctus capitis dolorum signum dicitur vel praesentium, vel imminentium. Color pallidus ejus perversam sanguinis crasin, leucophlegmasiam, chlorosin indicat; luteus, niger, livescens icterum, suppurationem, gangraenam, colliquationes. Color viridis in scorbuto praesertim labia et carunculam lacrimalem, quae simul intumescit, occupat. Haec caruncula, si intumescit, saepe systema nervosum vehementer resolutum denotat.

Secretio lacrimarum nimia. Qui sanguinis versus caput congestionibus habitualibus laborant, habitu sic dicto apoplectico praediti, si ad fletum facile moventur, apoplexia iis imminere solet, et haecce propensio, si post insultum augetur, recentis insultus metum movet. Quorum in febribus aut in aliis morbis, inquit Hippocrates, oculi ex voluntate illacrimantur, iis non infaustum, sed, quod saepe evenit, symptoma est. Alibi idem gravius laborantium voluntarias lacrimas bonas, involuntarias vero malas et in febribus et in aliis morbis esse dixit. Lacrimae, quae involuntarie, inscio et invito aegroto defluunt, saepe summum minitantur periculum, imo mortem ante fores indicant, encephalitidem, maniam, phrenitidem et in febribus praesertim nervosis deliria nuntiantes. Is tamen unus excipitur casus, in quo lacrimae involuntariae futurae criseos per narium haemorrhagiam, signum dant, si quidem symptomata mali ominis tales lacrimas non comitantur. Ita Hippocrates: »quibus,« inquit, »in febribus acutis, maxime ardentibus, invitae effluunt lacrimae, in iis sanguinis e naribus profluvium exspectandum est, si non reliqua perniciosa fuerint; si fuerint, non haemorrhagiam, sed mortem portendunt. Imprimis si si-

mul cum his lacrimis facies reliqua tristitiam exprimit et aeger nihilominus non concedit, se tristem esse (v. Sweeten), si aegroto involuntariae lacrimae praesertim non ex angulo, sed inaequaliter supra palpebrae inferioris marginem defluunt (Wintringham), aut aegrotus, si oculos madentes profert, lacrimas effundi negat (de Haën), summum adest periculum. Praeterea ubi alia etiam signa futurae haemorrhagiae adsunt. Galenus lacrimas involuntarias laudavit, ut quae essent certum signum illi crisi antecedens, et monuit hac de causa medicos, ne perterrerentur, si aegrum delirare et subsilire viderent, dummodo res ita sese haberet.

In morbis chronicis et spasmodicis saepe antecedunt et indicant lacrimae involuntariae spasmorum accessionem.

In faucium inflammationibus, imprimis angina scarlatinosa, oculis lacrimantibus et fulgore praeditis epistaxis critica saepenumero succedit; in angina gangraenosa lacrimae involuntariae nihil boni praedicunt.

Vitium contrarium, scilicet inopia lacrimarum, si in acutis morbis obvenit, non minus infaustum est, potissimum si aegrotus, alias facilius lacrimans, doloribus cruciatur vehementissimis, frustra lacrimas fundere studet: hoc enim nervosi systematis debilitatam actionem designat. Secundum van Swieten in febribus, ubi calor vehemens corpori inest, ex oculorum siccitate deliria furibunda praedicere licet.

Secretio perversa. Si lacrimae circa palpebrarum margines spissae apparent ciliisque inhaerent: id malum omen est in febribus praesertim typhosis et morbis tabificis, nec minus in ultimo stadio phthiseos aliisque morbis hecticis, quae cum virium vitalium prostratione

ingrediuntur. Pessimae autem lacrimae censentur, quae in oculis quasi arescunt et tenuissimae lanugini vel aquarum adspergini similes, bulbum oculi squalidum et pulvere quasi inspersum reddunt. Si lema ac sordes circa oculos apparent, malum et perniciosum signum esse refert Hippocrates. Gruner adnotat: »Lemae, ubi cetera signa non desunt, perniciosae sunt et haud raro phreniticis et tabificis morbis accedunt. »Item in morbis diuturnis frequenter offeruntur, feminis aetate provectioribus potiuntur et decessionem mensium indicare solent. . Si pituita ex oculorum angulo, crassa, subflava et pus referens, sine ulla manifesta causa copiose et cum impetu apud homines suspectos effluit, scire licet, inquit Gruner, gonorrhoeam temere suppressam esse, aut apud mulieres deflorescentes et cacochymicas, mensium cessationem significari.

Lacrimas cruentas in puella menstruas et pro regulari fluxu menstruali quasi suppositas observavit Ill. Juengken. Ceterum illae saepe repertae et ab Adamo Schmidt pro signo scorbuti habitae sunt. Attamen non solum in hoc morbo, verum etiam in gravioribus casibus febrium petechialium affuisse dicuntur, ubi succorum sat periculosam testantur resolutionem. In morbis asthmaticis, tussi convulsiva etc. status morbosi summum gradum declarant.

Lacrimae flavae in ictero graviter irruente, saepe letali observantur.

Saccum lacrimalem, affectionibus mere localibus non consideratis, in hydrope interdum intumescentem videmus, nec minus in synocho tale quid observare licet, si in typhum transgreditur (Loebenstein-Loebel).

Conjunctiva. Tunicae hujus quo minus mutatur color, eo melius existit signum. Monendum tamen est, oculos solos bene coloratos in febribus praesertim continuis, reliquo aegri statu malo, saepe fallere medicum et ad meliorem prognosin statuendam animum inducere, quamquam plerumque spes magna convalescentiae, si conjunctiva decolorata colorem normalem recuperat. — Color cretaceus, margariticus in hydrope et in phthisi, praesertim si cum dentibus albissimis apparet, infaustus esse dicitur. In cerebelli inflammatione scleroticam saepe non rubere, sed albam splendidamque apparere contendit Loebenstein-Loebel. In typho frequenter vitreus ille splendor scleroticae mortis certum testem affert. In pulmonum morbis quasi signum prognosticum phthisin indicare fertur. — Conjunctiva livescens in tussi convulsiva correptis et in asthmaticis suffocationis metum affert. Persaepe sclerotica livescens in lepra animadvertitur. Rubor scleroticae signum pathognomonicum inflammationis hujus organi est; sanguinis copiosiorem ac vehementiorem impetum ad caput saepe prodit, quare in encephalitide, apoplexia, deliriis et primo hydrocephali acuti stadio invenitur. Attamen etiam in pneumoniis obvenire traditur et quidem in oculo ejus lateris, ubi pulmo inflammatus sit. In hepatitide potissimum dexter, in splenitide et carditide sinister oculus saepe rubescere traditur. Si in morbo acuto, ait Riverius, album oculi rubrum apparet, phrenitidem portendit. Si post vomitum rubor oculorum cum singultu observatur, malum est augurium; at si post vomitum aut tussim vehementem sine singultu signum illud apparet, indicat rupturam alicujus oculi vasis nec est ominis mali. In omnibus febribus acutis, in pu-

tridis, nervosis, pestilentialibus, ubi crebro apparet, pro omine malo habetur. In scarlatina et morbillis oculi color nonnihil rubicundus minus infaustus existimandus est; ast vero saturatus supra modum et nimis adauctus cerebri minatur inflammationem vel meningum. Secundum Klein iis mors imminet, quibus contusione et vulneratione tunicarum cerebri die septimo aut undecimo ophthalmia vehemens superveniat: id quod secundum Whytt, si in hydrocephalo interno fit, idem significat. In acutis morbis diebus criticis scleroticae rubedo dijudicationem salutarem saepe designat; sanguinis enim e naribus profusionem, maxime si aegroti lucem ferre nequeunt, et frons rubore quasi suffunditur, nasique adest pruritus, praesagit largum (Hippocrates). In hominibus cancere laborantibus persaepe oculis inflammatis et glandulis Meibomianis exulceratis virus carcinomatosum per totum corpus dimanat. — Ubi in synocho deliria minantur: oculi rubicundiores, immo roseo colore, magis fulgent, coarctatur saepe pupilla. Chronica oculi rubedo, nisi oculi vulnerabilitate vel spirituosorum abusu effecta est, praedispositionem ad apoplexiam prodit; periodica vero cum vehementissimis capitis doloribus febris intermittentis larvatae suspicionem excitat (Wintringham, Sprengel). — Scleroticae rubedo, cui aliquid sordidi inhaeret, plerumque cum siccitate conjuncta, signum summae debilitatis et inclinationis ad putredinem est, uti in febri putrida, morbillis putridis, al. Ubicunque sclerotica nigrescit, pessimum signum; non solum oculi degenerati et corrupti est testis, sed etiam in acutis et chronicis morbis humorum summam resolutionem gangraenam, mortem imminentem prodit. Flavus scleroticae color secundum Hippocratem in acutis morbis

magni periculi signum est. In morbis chronicis horum diuturnitatem saepissime notat. Ceterum hic color signum pathognomonicum icteri est. Saepe reperitur in morbis organicis hepatis, in febribus biliosis, haemorrhoidibus suppressis, in scorbuto, in morbo verminoso, in morbis gastricis, ubi tamen levis est momenti. — Coeruleus color scleroticae mixtionem sanguinis alienatam significat: saepe in phthisico et scrophuloso habitu et ferme semper in scorbuto observatur. Wintringham, qui partium internarum gangraenam hoc signo cognosci dicit, haecce adnotat: »si in vulneratis sudores frigidi, pulsus parvus et circulus lividus circa os et sub hisce phaenomenis album oculi coeruleum conspicitur, timendum est, ne pars corporis nobilis sit vulnerata, etsi e vulnere non multum sanguinis profluat.«

Oedema conjunctivae in aetate provectioribus signum laxi habitus vel abusus spirituosorum. Pinguecula plerumque aetate provectioribus et vitiis abdominalibus laborantibus supervenit. Excrescentia papulae secundum Beer nonnisi in puellis menstruorum anomalia affectis, et tantummodo in conjunctiva palpebrae inferioris in vicinia puncti lacrimalis occurrit.

Corneae splendor, qui ad totius bulbi splendorem plurimum confert, aut augeri aut diminui potest, de qua re infra disseremus. Cornea, si inter morbum clara manet, laetum signum praestat; sin imminuitur splendor, vim vitalem imminutam et periculum indicat; color pellucidae corneae coeruleus cernitur secundum Baume in scrophulis inveteratis; color argenteus plerumque mortem antecedere solet. Convexitas corneae diminuta aut congenita aut signum aetatis provectioris et presbyopiae est. In

acutis et chronicis morbis signum infaustum et collapsus ejus signum colliquationis, et si magis collabitur, mortis est. Convexitas adaucta corneae significat myopiam; sanguinis impetum ad caput, deliria, maniam, phrenitidem et cerebrum aqua repletum prodit saepenumero.

Gerontoxon s. arcus senilis minus morborum, magis aetatis provectioris signum est, quamquam quandoque fallit, quum in adolescentibus non solum marasmo praematuro correptis, sed etiam congenitum invenias.

Camera anterior. Humor aqueus flavus symptoma vehementis icteri est. Rubor humoris aquei, quarta quaque hebdomade rediens, post mensium suppressionem apparere dicitur. Si fluidum illud in morbo acuto turbidum et plane opacum fit, instantem mortem significat. Signa ex illo derivata tum animadvertuntur et perspicuitate internarum oculi partium perdita, iride splendore orbata, pupilla depressa.

Ex iridis coloris mutatione signa non adeo certa depromendă sunt, quod illa jam in sanis hominibus pro coeli regione populorumque habitu ac singulorum hominum natura diversa, vel pro animi affectibus vario apparet tincta colore, et quod a partu usque ad aetatem summam per varios status haud secus atque capilli varium induere solet colorem. Sic incolae septentrionalium regionum praesertim coeruleam vel cineraceam iridem, calidiorum regionum contra fusco-rubram et fere nigram habent. Dicitur etiam magna et longa tristitia coerulea iris cana facta et magno gaudio in fuscam mutata esse. In cholericis iris saepius fusca vel subviridis quam caesia esse fertur. Iris caerulea, quae boni visus signum existimatur, praesertim in scrophulosi observatur. Rubrum ejusdem colorem in

febribus acutis et in viscerum vitalium inflammationibus cum congestionibus versus caput vehementissimis junctis, nec minus luteum in ictero interdum invenies.

Pupillae color niger et incolumis est optimus. Pupilla nigerrima in infantibus, cineracea in senibus conspicitur, attamen etiam in juvenibus, qui oculis permultum usi sunt. In infantibus pupilla pallida et cineracea secundum Juengken conditionem oculi morbosam significat. — Interdum alterius oculi pupilla amplior invenitur in hydrocephalo acuto. Pupilla parva bonum visum indicat in corpore sano; in inflammationibus capitis valde timenda est, ubi ut signum encephalitidis apparet. Signum pathognomonicum hydrocephali acuti est: in febribus acutis impetum sanguinis ad caput, encephalitidem, deliria, maniam, convulsiones, alia indicat. Praeterea invenitur contracta pupilla, ubi in tubo intestinali ascarides et affectiones spasticae adsunt. — Pupilla valde dilatata in morbis acutis magnum periculum, imo mortem prodit, velut in febribus biliosis, typhosis cet. In epilepsia, ubi pupilla torpida luminis irritamento ad reactionem non inducitur, illud signum diagnosticum est inter veram et falsam epilepsiam. In ebrietate pupilla semper dilatata observatur. In hydrocephalo fere idem potest animadverti, quamquam ceterum, lumine adhibito, contrahitur quidem, paullo post autem dilatatur, ne remoto quidem lumine. In laesionibus capitis extravasatum in cerebro, vel ad basim cranii prodit; in raphania indicat insanabilem virium consumtionem; cum aliis signis conjunctum vermes intestinales indicat, et Monro id signum pathognomonicum esse contendit, quod dubitandum est. Ceterum in amauroseos signis enumeratur.

Adaucta iridis sensibilitas cerebri irritationem vel inflammationem prodit et quod ad prognosin attinet, hoc signum momenti est maximi. Sensibilitas iridis minuta, si subito lucis stimulus vim exserit, imminutam ostendit cerebri sensibilitatem vel imminutas vires: invenitur in scrophulosis, chloroticis, phthisicis, apoplexia, tertio hydrocephali stadio, sopore, in quo pertinaciam morbi significat. Ubi in morbis acutis virium imminutionem indicat, mali; ubi paralysin, plerumque letalis est ominis.

In hominibus aetate provectioribus pupilla prope semper formam rotundam amittit. Si pupilla in angulum distracta est, cujus acumen interne ac superne conspicitur, syphilidem adfuisse vel adesse constat; pupilla externe et superne distracta significat, onaniam in oculos vim exseruisse; pupilla ovalis, horizontaliter distracta et immobilis signum arthritidis est.

Oculi splendor, quem in sanis partim ex corneae puritate, bulbi et iridis motu vivaciore, humoris aquei claritate et lucis externae incidentis impetu et copia, maxime autem ex totius corporis organismi vigore redundantem videmus, in morbis vel supra modum adauctus vel imminutus observatur, atque ita diagnosin vel prognosin varie confirmans. Ad bona signa pertinet, si naturalis oculi vigor et splendor per morbos perdurat, id quod significat, vim vitalem totius organismi satis vigere; tum mors non adeo metuenda est, etiamsi alia pessima quaevis symptomata adsint. Si oculi morbo praegresso debilitati sunt, splendor oculorum redux renascentes vires indicat, qua Huxham ita confidebat observatione, ut in angina gangraenosa sanitatem utique restitutam pronuntiaret, si splendor oculorum rediret et respiratio tardior et

magis soluta esset. In omnibus autem affectibus, qui subito atque improviso ceterum sanum occupant, ubi subito respirare et sui conscius esse desinit, ut in apoplexia, in toxicatione cum acido hydrocyanico, observatio illa minus valet, quum post tales affectus oculorum splendor post mortem etiam per aliquod tempus persistat. Si splendor oculorum supra modum adauctus est in febribus acutis, deliria, encephalitis, convulsiones lethales timenda sunt. In stadio nervoso typhi abdominalis, ubi deliria minantur, oculi splendent et pupilla concitatur. Quibus in convulsionibus oculi continuo splendent, iis mens non constat et diutius morbum trahunt (Hippocrates). Si in mania correptis oculorum splendor supra modum adauctus apparet, mors aegroti metuenda est, cum convulsiones existere soleant (Prosper Alpinus). In apoplexia semper fere letalem exitum significat. Friedreich auctum oculorum splendorem in haemoptysi laborantibus observavit. Splendor supra modum adauctus cum oculorum rubedine cum vultu torvo et audaci, malus est, nisi criseos tempore cum aliis signis criticam narium haemorrhagiam indicat (Hippocrates). — Oculorum splendor imminutus in multis hominibus normalis est; in aliis levissima quaque infirmante causa efficitur; invenitur apud eos, qui morbis praegressis etiam debilitate laborant; exstat post copiosas evacuationes sanguinis, salivae, urinae; post excessus cujusvis generis; sin autem nulla causa ejus generis inveniri potest, gravis morbus timendus est. In morbis acutis eo majus periculum adfert, quo magis oculus languescit plenaeque splendoris jacturae similis est. In cordis morbis imprimis languidus splendor observatur atque etiam inter prodromos febris nervosae lentae numeratur. Inter-

dum in febribus typhosis languidus turbidusque oculus, ubi mors jam in propinquo est, semel adhuc dilucescit et quasi splendore circumdatus est. In universum, quod ad prognosin attinet, oculi squalidi pessimi sunt ominis et plerumque mors ante fores.

Oculus pellucidus in morbis acutis collapsum universum significat, obvenit in Hipocratica facie; saepe etiam in phthisi pulmonali exulcerata animadvertitur. Loebenstein-Loebel pro signo pathognomonico morbillorum habet, Lettson autem febris putridae, ubi prognosis melior esset, si signum illud decederet. Sauvage refert, oculos pellucidos hydrophoborum noctu lucere solere (?). In universum oculi pellucidi, ubicunque adsunt, spem in angusto, haud raro mortem in propinquo esse indigitare solent.

Oculi praeter consuetudinem extra orbitas prominentes, nisi ex vitiis localibus pendent, copiosi sanguinis ad caput congestionem aut sanguinis recessum ex capite impeditum esse significant. In febribus acutis hoc summi periculi signum existit. In encephalitide, ubi saepe una cum vultu torvo primum indicium est, periculosissimum aestimatur. In apoplexia, cui saepe antecedit, pessimi momenti est; in faucium inflammationibus cum respiratione difficili suffocationem, in pneumonia summum inflammationis gradum aegrotumque in summo discrimine versantem indicat, cum sanguinis circulatio omnino fere sublata sit.

In maniae paroxysmis, et vehementibus virium intentionibus cum corporis motibus conjunctis symptoma illud haud raro observatur; ita in vomitu et tussi convulsiva. Idem Schenk vidit apud mulierem difficulter parturientem, vehementibus ad partum doloribus, ubi post quat-

tuor demum dies oculi situm normalem recuperabant. — In cadaveribus necem suffocatione (strangulatione etc.) effectam esse potest significare, cum oculorum exorbitatio saepe post mortem adhuc remaneat. — Tempore dijudicationis cum aliis criseos signis oculi prominentes criticam per nares haemorrhagiam praesagiunt.

Oculi concavi, profundi observantur in melancholicis; in iis, quibus tristitia diuturna fuit; in fame et siti vexatis; in veneris libidine captis, in iis, qui haemorrhagiis vehementioribus vel excretionibus ac praegressis gravibus morbis debilitati sunt, in feminis nimia menstruatione aut leucorrhoea chronica laborantibus; ubi varia causae ratione variam prognosin admittunt. In morbis acutis magnum periculum significant: reperiuntur in morientibus et inter signa faciei Hippocraticae referuntur. Si pneumonia in suppurationem transit, oculi concavi fiunt. In suppurationibus oculi concavi per longum tempus morbum perstiturum significant, et ubi in febri catarrhali oculi concavi, cutis arida, tensa, facies citrina fit, hectices metus subest (Klein). Secundum Wintringham semper mors propinqua est, si in aliqua febri vox rauca, deglutitio difficilis, oculi concavi apparent, quos dolor et inflammatio tonsillarum sequitur. Malum omen praebet in morbis chronicis organorum abdominis, praesertim hepatis. In gravibus hepatis vulnerationibus signum illud observatum esse dicitur, nec modo antiquiorum, sed etiam recentiorum temporum medici in memoriam revocant. — In carcinomate oculi in orbitam retrogressi, languidi, fessi apparent.

Omnium vero ab omnibus medicis pessimum signum alter oculus altero minor habetur. Ita in morbis acutis

res saepe letalis est. Ubi in spasmis hystericis exstat, minus attentionis meretur. Stoll symptoma illud in febribus, etiamsi signa quaedam haud mala adessent, fere semper letale videbat. Contra Werlhoff aegrotum, quamquam in fastigio febris paraphreniticae alter oculus altero minor aliaque periculosissima symptomata adfuerunt, cumque perditum habuit, sanavit. De Haen illud symptoma in morbo verminoso deprehendit.

Oculi immobiles, defixi, torvi in acutis morbis infausti sunt. Saepe enim prodromi sunt insultus apoplectici. Aegroti, qui in typho, peste, hydrocephalo, attoniti quasi, bulbo oculorum immobili et veluti saxeo, prostrati jacent, ab omnibus moribundi dicuntur. In asthmaticis difficulter spirantibus oculos rigentes, prominentes et fixos saepissime reperies.

Oculi morientium retrahuntur in orbitam, languent, difficile moventur, omni splendore naturali privantur. Conjunctiva sordet quasi adipe uncta. Cornea, transsudante ejus liquore, albida, argenteo splendore, omni turgore destituta, denique opaca quasi pulvere obducta apparet, totisque oculis aliquid telae aranearum instar concretum innascitur; innata pituita angulis inhaeret. Iris laxa, pupilla ampla et irregularis reperitur; palpebrae vehementer pallent et oculorum alter altero minor haud raro reperitur.

LITTERATURA.

Prosper Alpinus de praesag. vita et morte aegrot.

Baglivii opera omnia. Lugdun. 1745.

Beust, analect. ad semiotic. faciei. Dissert. inaug. Berol. 1819.

Boerhave, praelect. ad propr. institut.

Oswald, dissertatio de oculo. Halae 1752.

Celsus de medicina.

Danz, Zeichenlehre.

Friedreich, Handbuch der pathol. Zeichenlehre. 1825.

Galeni opera omnia.

Gorter, systema prax. medic.

Gruner, semiotice phys. et pathol. gener. Jen. 1801.

Haase, chronische Krankheiten.

de Haen, praelect. patholog. etc.

Hasper, thesaur. semiot. Lips. 1825.

Heilbronn, über das menschliche Auge als Zeichen in chronischen Krankheiten, in Harless u. Hufeland's neuem Journal.

Hilscher, dissertat. inaugur. de oculi sanit. et morb. Jen. 1745.

Hippocratis opera omnia.

Huxham, oper. ed. Reichel 1773.

Keck in Horn's Archiv für mediz. Erfahrung. Leipzig 1801.

Klein, interpres. clinic. Amstelod. 1769.

Kloeckhoff opuscul. medic. 1788.

Loebenstein-Loebel, tableau de la semiol. de l'oeil etc. par D. Lobstein. Strassburg 1818.

Metzger, Grundriss der allgemeinen Semiot. und Therap. Königsberg 1785.

Morgagni de sedibus et causis morborum.

Rahn de miro inter caput et viscera abdominal. commercio.

Sprengel, Handbuch der Semiotik. Halle 1801.

Stoll, ratio medendi.

van Swieten commentar. in Boerhavii aphorism. Lugdun. 1742.

Werlhoff, opera ed. Wichmann, Hannover 1776.

Wintringham, commentar. de morbis quibusd. London 1782.

Whytt, practische Schriften.

Zimmermann, von der Erfahrung in der Arzneikunst. Zürich 1787.

VITA.

Carolus Guilelmus Immanuel Wolff natus sum die sexto decimo mensis Februarii anni h. s. vigesimi secundi Rathenoviae, patre Joanne Carolo, matre Henrica Eleonora e gente Titzschkow, quam jam a prima infantia fatis invidis mihi ereptam lugeo. Hujus tamen vices post decennium suscepit Julia e gente Todt, quam, uti patrem, et summo amore amplector et Deus optimus, maximus etiam diu mihi servet. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in schola urbis patriae imbutus, quatuordecim annos natus gymnasium Stendaliense, quod directore Haacke tum florebat et adhuc floret, quattuor annos et dimidium frequentavi. Tum Berolinum me contuli, ubi inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, hisce per quadriennium interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum scholis:

Cel. Beneke de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medicinae, de Celsi libris, de pathologia generali, de medicinae historia; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Link de botanice et historia naturali: Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia universa et pathologica, de anatomia organorum sensuum ac de physiologia; Exp. Reichert de evolutionis histo-

ria et histologia; Cel. Eck de therapia generali, de semiotice; Ill. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Horn de morbis psychicis; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi et de medicina forensi; Beat. Kluge de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, de aciurgia; Cel. Froriep de aciurgia. Practicis exercitationibus me instituerunt:

Ill. Mueller et Schlemm arte cadavera rite secandi; Cel. Froriep operationibus chirurgicis in cadaveribus faciendis; Beat. Kluge arte fascias rite imponendi et exercitationibus obstetriciis; Ill. Casper exercitationibus medico-forensibus; Ill. Schoenlein, Wolff, Romberg clinicis medicis; Ill. Dieffenbach, Juengken clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, quam possum maximas gratias ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examinne rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Albuminuria non morbi Brightii solius, sed aliorum quoque morborum signum est.
2. Venaesectiones in pneumoniis non solum ex pulsu emetiendae sunt.
3. Medicum auscultationis expertem ad typhum sanandum accedere non decet.
4. Syphilidis cura sine mercurio praeferenda.